



The Holy See

**EPISTULA DATA
NORBERTO S.R.E. CARDINALI RIVERA CARRERA**

*Venerabili Fratri Nostro
NORBERTO S.R.E. Cardinali RIVERA CARRERA
Archiepiscopo Metropolitae Mexicano itemque Mexici Primati*

Insignis cathedralis ecclesia archidioecesis Sancti Iacobi in Guatemala, quae splendore et ornamentorum pulchritudine inter alia templa enitet, anno MDCCCXV ab Excellentissimo Domino Francisco Raimundo Valentino de Casaus y Torres, O.P., ante sollemnia Paschalia consecrata, maiore ratione celeberrima est inter Guatimalae templa, metropolitana aedes constituta plurimosque orantes complectens Christifideles.

Quandoquidem CC anni praeterierunt a memorabili hoc eventu, Venerabilis Frater Ansgarius Iulius Vian Morales, S.D.B., Archiepiscopus Metropolita Sancti Iacobi in Guatemala, humaniter postulavit ut ad ducentesimam anniversariam recordationem huius templi consecrationis sollemnius celebrandam, quae coniungitur cum Congressu Eucharistico Archidioecesano, Pater Purpuratus mitteretur Nostras vices acturus.

Nos ergo libenter huiusmodi petitioni annuimus teque, Venerabilis Frater Noster, Archiepiscopum. Metropolitam Mexicanum et Mexicanae Nationis praestantissimum Filium, quem sedulum fidelemque Pastorem novimus, ad hanc sollemnem iubilarem festivitatem Missum Extraordinarium Nostrum destinamus, ut Nostram Personam geras in Congressu Eucharistico Archidioecesano a die XXXI mensis Maii usque ad diem V mensis Junii compiendo, pariterque in celebranda ducentesima anniversaria memoria consecrationis ecclesiae cathedralis Sancti Iacobi in Guatemala.

Liturgicis ergo celebrationibus Nostro nomine congrue praesidebis Nostramque benignam omnibus significabis salutationem. Quo ubiores fidei, spei et caritatis fructus apud populum edi possint, Nos legationem tuam precibus comitabimur. Tu vero Pastores et Christifideles ad

servandam colendamque catholicam fidem et traditionem, Deiparae Sanctorumque cultum sollicito animo cohortaberis, sicut hucusque multos per annos maiores eorum hoc in loco fecerunt. Hoc sane maximi nunc videtur momenti, quoniam novae evangelizationis constanter urget necessitas simulque veteres pretiosi humani christianique thesauri sunt servandi ac posterioribus diligenter tradendi. Memoria autem tenens Redemptoris Matrem in toto orbe esse Stellam novae evangelizationis, "in opere suo apostolico Ecclesia ad Eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo de Spiritu Sancto conceptum et de Virgine natum, ut per Ecclesiam in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat" ([Lumen gentium](#), 65).

Quapropter intercedente Immaculata Virgine Maria, Patrona Americae, Benedictionem Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, Tibi in primis elargimur, Venerabilis Frater Noster, quam cum dilecto Archiepiscopo Metropolita Sancti Iacobi in Guatemala, civilibus auctoritatibus et omnibus Congressus Eucharistici participantibus nomine Nostro amanter communices volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIV mensis Maii, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS PP.